

rorum & puellarum : in pagis distincta sint subsellia, ne pueri & puellae promiscue sedeant. 3. In pagis æditui possunt præfici scholis, ad parcendum sumtibus. Ministris vero verbi non imponetur hoc onus. 4. Ciues & rustici ne grauentur didactro immoderato. Profuerit itaque ex redivibus Ecclesiasticis assignare stipendium præceptoribus scholarum vernacularum, vt ciues & rusticos vel nihil, vel parum ad illorum sustentationem conferre sit necesse. 5. Pastor Ecclesiæ supremus inspector & scholarcha esto, & hoc agito, vt præceptores paternum erga discipulos suos animum induant, ad ingenia & captum puerorum se accommodent, in castigando modum non excedant, remissionem à laboribus scholasticis quandoque concedant : denique scholas subinde visitato & solennia examina instituito.

*Ratio Catechizandi iuuentutem.*

## II. Catechizatio his gubernatur legibus.

I. Catechizatio sit conformis primitivæ Ecclesiæ instituto antiquissimo illi & laudatissimo : hoc est, fiat frequenter, diligenter, prudenter, & simpliciter. *Frequenter*, hoc est, tum publice in templo, præsertim diebus Dominicis, tum priuatim : & quidem ita, vt non interpolentur catechizationes sed per totum annum continuentur. *Diligenter*, hoc est, non obiter & fallendi temporis causa, sed fundamentaliter & in timore Domini. *Prudenter*, h. e. ita, vt habeatur delectus ingeniorum, & pectus muniatur patientia. *Simpliciter*, hoc est, ita, vt studeatur perspicuitati sermonis & facilitati rerum. 2. Catechumeni primo omnium addiscant nuda capita Catechetica. Deinde proponatur illis Catechesis recepta, in qua nihil immutetur. Tertio omnia referantur ad illam Catechesin. 3. Catechumeni pro ratione & diuersitate profectus in certas classes digerantur. 4. Catechumeni prouectiores erudiant cæteros. 5. Catechizationes, quæ habentur in Ecclesia, fiant clara voce, & velut adhibito celestinate. 6. Pastores dispiciant, vt parentes, tutores, curatores, propinqui & patrini diligenter faciant officium suum circa Catechizationes suorum.

*Presbyterij actiones, ordo & leges.*

## III. In conuentu presbyterorum oportet spectare locum, tempus, actiones & leges.

*Locus* erit publicus, in templo. *Tempus* erit ordinarium & extraordinarium. *Tempus ordinarium* est singulis septimanis, die Dominico post concionem, vel singulis mensibus, peculiari die his conuentibus deputato. *Extraordinarium presbyterium* conuocabitur, quoties necessitas Ecclesia postulat, taliaque incidunt negotia, quæ non ferant moram donec ordinatum tempus appropinquet. *Actiones* conuentuum presbyteralium sunt septem. 1. *Preces*; à quibus conuentum incipiet & claudet præses, qui erit